

# 28<sup>th</sup> SYDNEY LATIN SUMMER SCHOOL

17<sup>th</sup>-21<sup>st</sup> JANUARY 2022  
University of Sydney via Zoom

## LEVEL 4.5

Love and Death in the 50s:  
Lucretius 3 and Catullus 68

Bob Cowan



The 50s BCE were a turbulent period in Roman history that began with the so-called First Triumvirate, witnessed the exile of Cicero and the murder of Clodius, and ended on the eve of the Civil War that brought an end to the Republic. It was also a revolutionary time for poetry, dominated by the radical aesthetics (and equally radical lifestyle) of the Neoterics, and the no-less-radical Epicurean epic of Lucretius. Both Catullus and Lucretius largely (though not entirely) turned away from civic themes to focus on the individual, on erotic, familial, and friendly relationships, and on the ever-present threat of death.

Lucretius' great didactic epic, *De rerum natura*, sets out to convert the reader to Epicureanism and to cure her of the fear of death by rational explanations of all natural and bodily phenomena. In doing so, he endeavours to debunk conventional religion and its supernatural explanations, demythologizing myth to produce a poem of great beauty and power that moves and entertains as it teaches, like the honeyed cup of medicine to which its author compares it. We shall read the climax of book 3, known as the 'diatribe against the fear of death', in which Lucretius both employs and parodies conventional consolatory motifs to try to dispel that fear and to lead his reader to the Epicurean ideal of untroubledness, *ataraxia*.

Catullus 68 is probably the most remarkable and elusive of all Latin poems. It may in fact be one, two, or even three separate poems, and its stream-of-consciousness structure is dizzying to follow. The poet thanks a friend for lending him a house in which to meet his lover, and memories of that night lead through a series of mythological and contemporary comparisons – sometimes comparisons *within* other comparisons – to reflect on the broken nature of his relationship and how the trauma it causes connects to that produced by his brother's death. Catullus 68 is hard to understand but impossible not to feel, and to feel at the most visceral level.

There are many good modern commentaries in English on both Lucretius and Catullus which may help you construe these passages and also appreciate more of their literary texture. For Lucretius 3, while older commentaries (esp. Bailey's monumental one on the whole poem) still have value, I would recommend the revised version of the late E.J. Kenney's Cambridge "Green and Yellow" and/or P.M. Brown's Aris and Phillips edition. The choice for Catullus is even wider and you have the pick of Ellis, Fordyce, Quinn, Thomson, Garrison, Godwin, and probably others too.

If you have any questions about this class, please don't hesitate to contact me at [bob.cowan@sydney.edu.au](mailto:bob.cowan@sydney.edu.au) Otherwise, I very much look forward to seeing you (on Zoom) in January and setting out on the emotional journey through these wonderful texts together.

### **Monday: Lucretius 3.830-911**

*After an extended logical proof of the soul's materiality and therefore mortality, Lucretius begins the so-called 'diatribe against the fear of death', offering more emotional, entertaining, satirical, and often moving arguments as to why we should not fear the Reaper. He begins with the 'symmetry argument', that we feel no more after death than before birth, before moving on to show that what happens to the body after death does not affect us. Finally, he shows the illogicality of the conventional expressions of pity for the dead.*

- 830        Nihil igitur mors est ad nos neque pertinet hilum,  
              quandoquidem natura animi mortalis habetur.  
              et uelut ante acto nihil tempore sensimus aegri,  
              ad confligendum uenientibus undique Poenis,  
              omnia cum belli trepido concussa tumultu
- 835        horrida contremuere sub altis aetheris oris,  
              in dubioque fuere utrorum ad regna cadendum  
              omnibus humanis esset terraque marique,  
              sic, ubi non erimus, cum corporis atque animai  
              discidium fuerit, quibus e sumus uniter apti,
- 840        scilicet haud nobis quicquam, qui non erimus tum,  
              accidere omnino poterit sensumque mouere,  
              non si terra mari miscebitur et mare caelo.
- Et si iam nostro sentit de corpore postquam  
              distractas animi natura animaeque potestas,
- 845        nihil tamen est ad nos, qui comptu coniugioque  
              corporis atque animae consistimus uniter apti.
- Nec, si materiem nostram collegerit aetas  
              post obitum rursumque redegerit ut sita nunc est,  
              atque iterum nobis fuerint data lumina uitae,
- 850        pertineat quicquam tamen ad nos id quoque factum,  
              interrupta semel cum sit repentia nostri;  
              ut nunc nihil ad nos de nobis attinet, ante  
              qui fuimus, (neque) iam de illis nos adficit angor.  
              nam cum respicias inmensi temporis omne
- 855        praeteritum spatium, tum motus materiai  
              multimodi quam sint, facile hoc adcredere possis,
- 857        semina saepe in eodem, ut nunc sunt, ordine posta
- 865        haec eadem, quibus e nunc nos sumus, ante fuisse;
- 858        nec memori tamen id quimus reprehendere mente:  
              inter enim iectast uitai pausa, uageque
- 860        deerrarunt passim motus ab sensibus omnes.  
              \* \* \*
- debet enim, misere si forte aegreque futurumst,

ipse quoque esse in eo tum tempore, cui male possit  
 accidere. id quoniam mors eximit esseque prohibet  
 864 illum cui possint incommoda conciliari,  
 866 scire licet nobis nihil esse in morte timendum,  
 nec miserum fieri qui non est posse, neque hilum  
 differre an nullo fuerit iam tempore natus,  
 mortalem uitam mors cum immortalis ademit.  
 870 Proinde ubi se uideas hominem indignarier ipsum,  
 post mortem fore ut aut putescat corpore posto  
 aut flammis interfiat malisue ferarum,  
 scire licet non sincerum sonere, atque subesse  
 caecum aliquem cordi stimulum, quamuis neget ipse  
 875 credere se quemquam sibi sensum in morte futurum.  
 non, ut opinor, enim dat quod promittit et unde,  
 nec radicitus e uita se tollit et eicit,  
 sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.  
 uiuus enim sibi cum proponit quisque futurum,  
 880 corpus uti uolucres lacerent in morte feraeque,  
 ipse sui miseret; neque enim se diuidit illum  
 nec remouet satis a proiecto corpore, et illum  
 se fingit sensuque suo contaminat astans.  
 hinc indignatur se mortalem esse creatum,  
 885 nec uidet in uera nullum fore morte alium se  
 qui possit uiuus sibi se lugere peremptum  
 stansque iacentem (se) lacerari uriue dolere.  
 nam si in morte malumst malis morsuque ferarum  
 tractari, non inuenio qui non sit acerbum  
 890 ignibus inpositum calidis torrescere flammis  
 aut in melle situm suffocari atque rigere  
 frigore, cum summo gelidi cubat aequore saxi,  
 urgeriue superne obtritum pondere terrae.  
 'Iam iam non domus accipiet te laeta, neque uxor  
 895 optima nec dulces occurrent oscula nati  
 praeripere et tacita pectus dulcedine tangent.  
 non poteris factis florentibus esse, tuisque  
 praesidium. misero misere' aiunt 'omnia ademit  
 una dies infesta tibi tot praemia uitae.'  
 900 illud in his rebus non addunt: 'nec tibi earum  
 iam desiderium rerum super insidet una.'  
 quod bene si uideant animo dictisque sequantur,  
 dissoluant animi magno se angore metuque.  
 'tu quidem ut es leto sopitus, sic eris aeu  
 905 quod superest cunctis priuatus doloribus aegris;

at nos horrifico cinefactum te prope busto  
 insatiabiliter defleuimus, aeternumque  
 nulla dies nobis maerorem e pectore demet.  
 illud ab hoc igitur quaerendum est, quid sit amari  
 910 tanto opere, ad somnum si res redit atque quietem,  
 cur quisquam aeterno possit tabescere luctu.

**Tuesday: Lucretius 3.911-1010**

*The personification of Nature herself is summoned to reproach us for being unwilling to die, when we have enjoyed all that life's banquet has to offer. Next, Lucretius shows that the traditional punishments of the Underworld are in fact present on Earth and result from unEpicurean desires and emotions.*

Hoc etiam faciunt ubi discutuere tenentque  
 pocula saepe homines et inumbrant ora coronis,  
 ex animo ut dicant: 'breuis hic est fructus homullis;  
 915 iam fuerit, neque post umquam reuocare licebit.'  
 tamquam in morte mali cum primis hoc sit eorum,  
 quod sitis exurat miseros atque arida †torrat†,  
 aut aliae cuius desiderium insideat rei.  
 nec sibi enim quisquam tum se uitamque requirit,  
 920 cum pariter mens et corpus sopita quiescunt:  
 nam licet aeternum per nos sic esse soporem,  
 nec desiderium nostri nos adficit ullum;  
 et tamen haudquaquam nostros tunc illa per artus  
 longe ab sensiferis primordia motibus errant,  
 925 cum correptus homo ex somno se colligat ipse.  
 multo igitur mortem minus ad nos esse putandumst,  
 si minus esse potest quam quod nihil esse uidemus;  
 maior enim turba et disiectus materiai  
 consequitur leto, nec quisquam expergitus exstat,  
 930 frigida quem semel est uitai pausa secuta.  
 Denique si uocem rerum natura repente  
 mittat et hoc alicui nostrum sic increpet ipsa:  
 'quid tibi tanto operest, mortalis, quod nimis aegris  
 luctibus indulges? quid mortem congemis ac fles?  
 935 nam si grata fuit tibi uita ante acta priorque  
 et non omnia pertusum congesta quasi in uas  
 commoda perfluxere atque ingrata interiire,  
 cur non ut plenus uitae conuiuia recedis  
 aequo animoque capis securam, stulte, quietem?  
 940 sin ea quae fructus cumque es periire profusa  
 uitaque in offensast, cur amplius addere quaeris,

rursus quod pereat male et ingratum occidat omne,  
 non potius uitae finem facis atque laboris?  
 nam tibi praeterea quod machiner inueniamque,  
 945 quod placeat, nihil est: eadem sunt omnia semper.  
 si tibi non annis corpus iam marcet et artus  
 confecti languent, eadem tamen omnia restant,  
 omnia si perges uiuendo uincere saecla  
 {atque etiam potius, si numquam sis moriturus}' –  
 950 quid respondemus, nisi iustam intendere litem  
 951 naturam et ueram uerbis exponere causam?  
 955 Grandior hic uero si iam seniorque queratur  
 952 atque obitum lamentetur miser amplius aequo,  
 non merito inclamet magis et uoce increpet acri?  
 954 'aufer abhinc lacrimas, barathro, et compesce querelas.  
 956 omnia perfunctus uitai praemia marces;  
 sed quia semper aues quod abest, praesentia temnis,  
 imperfecta tibi elapsast ingrataque uita,  
 et necopinanti mors ad caput adstitit ante  
 960 quam satur ac plenus possis discedere rerum.  
 nunc aliena tua tamen aetate omnia mitte  
 aequo animoque agedum iuueni concede: necessest.'  
 iure, ut opinor, agat, iure increpet inciletque.  
 cedit enim rerum nouitate extrusa uetustas  
 965 semper, et ex aliis aliud reparare necessest;  
 nec quisquam in barathrum nec Tartara deditur atra:  
 materies opus est ut crescant postera saecla;  
 quae tamen omnia te uita perfuncta sequentur;  
 nec minus ergo antehac quam tu cecidere, cadentque.  
 970 sic alid ex alio numquam desistet oriri,  
 uitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.  
 Respice item quam nihil ad nos ante acta uetustas  
 temporis aeterni fuerit, quam nascimur ante.  
 hoc igitur speculum nobis natura futuri  
 975 temporis exponit post mortem denique nostram.  
 numquid ibi horribile apparet, num triste uidetur  
 quicquam, non omni somno securius exstat?  
 Atque ea nimirum quaecumque Acherunte profundo  
 prodita sunt esse, in uita sunt omnia nobis.  
 980 nec miser inpendens magnum timet aere saxum  
 Tantalus, ut famast, cassa formidine torpens;  
 sed magis in uita diuom metus urget inanis  
 mortalis, casumque timent quem cuique ferat fors.  
 nec Tityon uolucres ineunt Acherunte iacentem

- 985 nec quod sub magno scrutentur pectore quicquam  
perpetuam aetatem possunt reperire profecto:  
quamlibet immani proiectu corporis exstet,  
qui non sola nouem dispessis iugera membris  
optineat, sed qui terrai totius orbem,
- 990 non tamen aeternum poterit perferre dolorem  
nec praebere cibum proprio de corpore semper.  
sed Tityos nobis hic est, in amore iacentem  
quem †uolucres† lacerant atque exest anxius angor  
aut alia quauis scindunt cuppedine curae.
- 995 Sisyphus in uita quoque nobis ante oculos est  
qui petere a populo fasces saeuasque secures  
imbibit et semper uictus tristisque recedit.  
nam petere imperium, quod inanest nec datur umquam,  
atque in eo semper durum sufferre laborem,
- 1000 hoc est aduerso nixantem trudere monte  
saxum, quod tamen ‹e› summo iam uertice rusum  
uoluitur et plani raptim petit aequora campi.  
\* \* \*
- deinde animi ingratham naturam pascere semper  
atque explere bonis rebus satiareque numquam,
- 1005 quod faciunt nobis annorum tempora, circum  
cum redeunt fetusque ferunt uariosque lepores,  
nec tamen explemur uitai fructibus umquam,  
hoc, ut opinor, id est, aeuo florente puellas  
quod memorant laticem pertusum congerere in uas,
- 1010 quod tamen expleri nulla ratione potestur.

### **Wednesday: Lucretius 3.1010-1094**

*Traditional consolatory topoi are deployed with an Epicurean twist: many great men lived before us and they too had to die. The diatribe and the book end with a curious reflection on the restlessness of the human spirit and the futility of its attempt to fill life with empty activity.*

- Cerberus et Furiae iam uero et lucis egestas  
Tartarus horriferos eructans faucibus aestus,  
qui neque sunt usquam nec possunt esse profecto;  
sed metus in uita poenarum pro male factis
- 1015 est insignibus insignis, scelerisque luela:  
carcer et horribilis de saxo iactus deorsum,  
uerbera, carnifices, robur, pix, lammina, taedae.  
quae tamen etsi absunt, at mens sibi conscia factis  
praemetuens adhibet stimulos torretque flagellis,

- 1020 nec uidet interea qui terminus esse malorum  
 possit nec quae sit poenarum denique finis,  
 atque eadem metuit magis haec ne in morte grauescant.  
 hic Acherusia fit stultorum denique uita.  
 Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis:
- 1025 'lumina sis oculis etiam bonus Ancus reliquit,  
 qui melior multis quam tu fuit, improbe, rebus.  
 inde alii multi reges rerumque potentes  
 occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.  
 ille quoque ipse, uiam qui quondam per mare magnum
- 1030 strauit iterque dedit legionibus ire per altum  
 {ac pedibus salsas docuit super ire lacunas}  
 et contempsit equis insultans murmura ponti,  
 lumine adempto animam moribundo corpore fudit.  
 Scipiadas, belli fulmen, Carthaginis horror,
- 1035 ossa dedit terrae, proinde ac famul infimus esset.  
 adde repertoires doctrinarum atque leporum,  
 adde Heliconiadum comites; quorum unus Homerus  
 scepra potitus eadem aliis sopitus quietest.  
 denique Democritum postquam matura uetustas
- 1040 admonuit memores motus languescere mentis,  
 sponte sua leto caput obuius optulit ipse.  
 ipse Epicurus obit decurso lumine uitae,  
 qui genus humanum ingenio superauit et omnis  
 restinxit, stellas exortus ut aetherius sol.
- 1045 tu uero dubitabis et indignabere obire?  
 mortua cui uita est prope iam uiuo atque uidenti,  
 qui somno partem maiorem conteris aeu  
 et uigilans stertis nec somnia cernere cessas  
 sollicitamque geris cassa formidine mentem
- 1050 nec reperire potes tibi quid sit saepe mali, cum  
 ebrius urgeris multis miser undique curis  
 atque animi incerto fluitans errore uagaris.'
- Si possent homines, proinde ac sentire uidentur  
 pondus inesse animo quod se grauitate fatiget,
- 1055 e quibus id fiat causis quoque noscere et unde  
 tanta mali tamquam moles in pectore constet,  
 haut ita uitam agerent, ut nunc plerumque uidemus  
 quid sibi quisque uelit nescire, et quaerere semper  
 commutare locum, quasi onus deponere possit.
- 1060 exit saepe foras magnis ex aedibus ille,  
 esse domi quem pertaesumst, subitoque (recedit),  
 quippe foris nihilo melius qui sentiat esse.



currit agens mannos ad uillam praecipitanter,  
 auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans;  
 1065 oscitat extemplo, tetigit cum limina uillae,  
 aut abit in somnum grauis atque obliuia quaerit,  
 aut etiam properans urbem petit atque reuisit.  
 hoc se quisque modo fugit; at quem scilicet, ut fit,  
 effugere haut potis est, ingratis haeret et odit  
 1070 propterea, morbi quia causam non tenet aeger;  
 quam bene si uideat, iam rebus quisque relictis  
 naturam primum studeat cognoscere rerum,  
 temporis aeterni quoniam, non unius horae,  
 ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis  
 1075 aetas, post mortem quae restat cumque manendo.  
     Denique tanto opere in dubiis trepidare periclis  
 quae mala nos subigit uitae tanta cupido?  
 certa quidem finis uitae mortalibus adstat,  
 {nec deuitari letum pote quin obeamus.  
 1080 praeterea uersamur ibidem atque insumus usque,  
 nec noua uiuendo procuditur ulla uoluptas;  
 sed dum abest quod auemus, id exsuperare uidetur  
 cetera; post aliud, cum contigit illud, auemus,  
 et sitis aequa tenet uitae semper hiantis.  
 1085 posteraque in dubiis fortunam quam uehat aetas,  
 quidue ferat nobis casus, quae exitus instet.}  
 nec prorsum uitam ducendo demimus hilum  
 tempore de mortis nec delibare ualemus,  
 quo minus esse diu possimus forte perempti.  
 1090 proinde licet quot uis uiuendo condere saecula,  
 mors aeterna tamen nihilo minus illa manebit,  
 nec minus ille diu iam non erit, ex hodierno  
 lumine qui finem uitae fecit, et ille,  
 mensibus atque annis qui multis occidit ante.

### Thursday: Catullus 68.1-82

*Catullus writes to a friend (Manlius? Allius? Manius?), explaining his inability to write as a result of the trauma of his brother's death. The poem shifts abruptly (or perhaps a new poem begins) with an expression of gratitude for the loan of a house for a clandestine tryst with his beloved. The thanks segue into a reminiscence of the tryst itself, which in turn is compared to the marriage of Laodamia and Protesilaus just before the latter left for the Trojan War.*

Quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo  
conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium,  
naufragum ut eiectum spumantibus aequoris undis  
subleuem et a mortis limine restituam,  
quem neque sancta Venus molli requiescere somno 5  
desertum in lecto caelibe perpetitur,  
nec ueterum dulci scriptorum carmine Musae  
oblectant, cum mens anxia peruigilat:  
id gratumst mihi, me quoniam tibi dicis amicum,  
muneraque et Musarum hinc petis et Veneris. 10  
sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Manli,  
neu me odisse putes hospitis officium,  
accipe, quis merser fortunae fluctibus ipse,  
ne amplius a misero dona beata petas.  
tempore quo primum uestis mihi tradita purast, 15  
iucundum cum aetas florida uer ageret,  
multa satis lusi: non est dea nescia nostri,  
quae dulcem curis miscet amaritiem:  
sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors  
abstulit. o misero frater adempte mihi, 20  
tu mea tu moriens fregisti commoda, frater,  
tecum una totast nostra sepulta domus,  
omnia tecum una perierunt gaudia nostra,  
quae tuus in uita dulcis alebat amor.  
cuius ego interitu tota de mente fugauit 25  
haec studia atque omnes delicias animi.  
quare, quod scribis Veronae turpe Catullo  
esse, quod hic quisquis de meliore nota  
frigida deserto tepefactet membra cubili,  
id, Manli, non est turpe, magis miserumst. 30  
ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit,  
haec tibi non tribuo munera, cum nequeo.  
nam, quod scriptorum non magnast copia apud me,  
hoc fit, quod Romae uiuimus: illa domus,  
illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas; 35

huc una ex multis capsula me sequitur.  
 quod cum ita sit, nolim statuas nos mente maligna  
 id facere aut animo non satis ingenuo,  
 quod tibi non hucusque petenti copia praestost:  
 ultro ego deferrem, copia siqua foret. 40  
 Non possum reticere, deae, qua me Allius in re  
 iuuerit aut quantis fouerit officiis,  
 ne fugiens saeculis obliuiscens aetas  
 illius hoc caeca nocte tegat studium:  
 sed dicam uobis, uos porro dicite multis 45  
 milibus et facite haec charta loquatur anus,  
 <uersibus ut nostris etiam post funera uiuat,>  
 notescatque magis mortuus atque magis,  
 nec tenuem texens sublimis aranea telam  
 in deserto Alli nomine opus faciat. 50  
 nam, mihi quam dederit duplex Amathusia curam,  
 scitis, et in quo me torruerit genere,  
 cum tantum arderem quantum Trinacria rupes  
 lympaque in Oetaeis Malia Thermopylis,  
 maesta neque assiduo tabescere lumina fletu 55  
 cessarent tristisque imbre madere genae.  
 qualis in aerii perlucens uertice montis  
 riuus muscoso prosilit a lapide,  
 qui cum de prona praeceps est ualle uolutus,  
 per medium densi transit iter populi, 60  
 dulce uiatori lasso in sudore leuamen,  
 cum grauis exustos aestus hiulcat agros;  
 ac uelut in nigro iactatis turbine nautis  
 lenius aspirans aura secunda uenit  
 iam prece Pollucis, iam Castoris implorata: 65  
 tale fuit nobis Allius auxilium.  
 is clausum lato patefecit limite campum,  
 isque domum nobis isque dedit dominam,  
 ad quam communes exerceremus amores.  
 quo mea se molli candida diua pede 70  
 intulit et trito fulgentem in limine plantam  
 innixa arguta constituit solea,  
 coniugis ut quondam flagrans aduenit amore  
 Protesileam Laodamia domum  
 inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro 75  
 hostia caelestes pacificasset eros.  
 nil mihi tam ualde placeat, Rhamnusia uirgo,  
 quod temere inuitis suscipiatur eris.

**Friday: Catullus 68.78-160**

*The Laodamia simile continues, moving in a stream of consciousness through other points of comparison involving the Trojan War, the death of Catullus' brother, Hercules, a contemporary grandson, Juno's reaction to Jupiter's adulteries, concluding with a bittersweet reflection on the pleasure and pain he derives from his love.*

quam ieiuna pium desideret ara cruorem,  
doctast amisso Laodamia uiro, 80  
coniugis ante coacta noui dimittere collum,  
quam ueniens una atque altera rursus hiems  
noctibus in longis audum saturasset amorem,  
posset ut abrupto uiuere coniugio:  
quod scibant Parcae non longo tempore abesse, 85  
si miles muros isset ad Iliacos.  
nam tum Helenae raptu primores Argiuorum  
coeperat ad sese Troia ciere uiros,  
Troia (nefas) commune sepulcrum Asiae Europaeque,  
Troia uirum et uirtutum omnium acerba cinis, 90  
quaene etiam nostro letum miserabile fratri  
attulit. ei misero frater adempte mihi,  
ei misero fratri iucundum lumen ademptum,  
tecum una totast nostra sepulta domus,  
omnia tecum una perierunt gaudia nostra, 95  
quae tuus in uita dulcis alebat amor.  
quem nunc tam longe non inter nota sepulcra  
nec prope cognatos compositum cineres,  
sed Troia obscena, Troia infelice sepultum  
detinet extremo terra aliena solo. 100  
ad quam tum properans fertur lecta undique pubes  
Graia penetrales deseruisse focos,  
ne Paris abducta gauisus libera moecha  
otia pacato degeret in thalamo.  
quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia, 105  
ereptumst uita dulcius atque anima  
coniugium: tanto te absorbens uertice amoris  
aestus in abruptum detulerat barathrum,  
quale ferunt Grai Pheneum prope Cyllenaenum  
siccare emulsa pingue palude solum, 110  
quod quondam caesis montis fodisse medullis  
audit falsiparens Amphitryoniades,  
tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta  
perculit imperio deterioris eri,  
pluribus ut caeli tereretur ianua diuis, 115

Hebe nec longa uirginitate foret.  
 sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,  
 qui tamen indomitam ferre iugum docuit.  
 nam nec tam carum confecto aetate parenti  
 una caput seri nata nepotis alit, 120  
 qui, cum diuitiis uix tandem inuentus auitis  
 nomen testatas intulit in tabulas,  
 impia derisi gentilis gaudia tollens  
 suscitatur a cano uulturium capiti:  
 nec tantum niueo gauisast ulla columbo 125  
 compar, quae multo dicitur improbius  
 oscula mordenti semper decerpere rostro  
 quam quae praecipue multiuolast mulier:  
 sed tu horum magnos uicisti sola furores,  
 ut semel es flauo conciliata uiro. 130  
 aut nihil aut paulo cui tum concedere digna  
 lux mea se nostrum contulit in gremium,  
 quam circumcursans hinc illinc saepe Cupido  
 fulgebat crocina candidus in tunica.  
 quae tamen etsi uno non est contenta Catullo, 135  
 rara uerecundae furta feremus erae,  
 ne nimium simus stultorum more molesti:  
 saepe etiam Iuno, maxima caelicolum,  
 coniugis in culpa flagrantem contudit iram,  
 noscens omniuoli plurima furta Iouis. 140  
 atqui nec diuis homines componier aequumst,  
 <nec mala, quot Iuno quantaue, nos patimur. 141a  
 tolle igitur questus, et forti mente, Catulle,>  
 ingratum tremuli tolle parentis opus. 142  
 nec tamen illa mihi dextra deducta paterna  
 fragrantem Assyrio uenit odore domum,  
 sed furtiua dedit muta munuscula nocte, 145  
 ipsius ex ipso dempta uiri gremio.  
 quare illud satis est, si nobis is datur unis,  
 quem lapide illa diem candidiore notat.  
 Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus  
 pro multis, Alli, redditur officiis, 150  
 ne uestrum scabra tangat robigine nomen  
 haec atque illa dies atque alia atque alia.  
 huc addent diui quam plurima, quae Themis olim  
 antiquis solitast munera ferre piis.  
 sitis felices et tu simul et tua uita, 155  
 et domus ipsa, in qua lusimus, et domina,

et qui principio nobis te tradidit Afer,  
a quo sunt primo mi omnia nata bono,  
et longe ante omnes, mihi quae me carior ipsost,  
lux mea, qua uiua uiuere dulce mihist.

160